Egregiam fructuosamque operam in explanandis Sophoclis tragoediis aetate nostra collocavit F. G. Schneidewinus. Multis profecto fabularum locis vir eruditus aut accurata interpretatione lucem aut coniecturis perquam ingeniosis medelam attulit, una tamen in re, ut opinor, minus laudandus, quod nimio novas res in medium proferendi studio abreptus interdum aut, quae verba genuina prorsus existimanda erant, ea vel immutavit aut posthabitis spretisque interpretum sententiis novas obtulit explicationes, speciosas plerumque nec tamen eas, quas aequa iudicandi ratio aut prolatis meliores aut omnino veras censere potuerit. Omnium maxime id viro claro in recensenda Antigonae fabula[1]) accidisse videtur: quam quum equidem anno priore alumnis interpretarer, compluribus locis tantum abfuit, ut comprobarem aut lectiones a Schneidewino in textum, quem vocant, receptas aut explicationes ab eo exhibitas, ut et tuendam esse aliarum editionum scripturam et defendendas interpretationes putarem, quas priorum editorum et intelligentia et industria invenerit, nec raro, ubi remedia animadversionesque non viderentur sufficere, novam plane ipse interpretandi viam ingredi cogerer. Iam imposito examinis publici alumnorum scholae huius munere constitui ea afferre, quae dissensionem istam significarent.

Ismena ab Antigona evocata ex aedibus ubi dixit videri sibi sororem magnam secum volutare rem, haec respondet (sec. Schneidew. edit. v. 21—24):

„οὐ γὰρ τάφου νῷν τὼ κασιγνήτω Κρέων
τόν μὲν προτίσας, τὸν δ' ἀτιμάσας ἔχει;
Ἐτεοκλέα μέν, ᾗ δίκῃ, κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε, τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς."

[1]) Prodiit Schneidewini editio Lipsiae anno 1852.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Codices omnes versum vicesimum tertium exhibent:

Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ

eique statim adiungunt versum a Schneidewino magna ex parte eiectum:

χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονός.

Mirum in modum hic locus interpretes vexavit et exagitavit. Ac primum quidem *χρησθεὶς* pro *χρησάμενος* offendit nec immerito: nusquam enim *χρησθεὶς* eo sensu positum invenies: neque, si foret usurpatum, commode explicares verbis *χρησθεὶς αὐτῷ*, scilicet Eteocle, *σὺν δίκῃ*, aut coniungeres apte verba *σὺν δίκῃ δικαίᾳ ἔκρυψε χρησθεὶς αὐτῇ*. Illud plane ieiunum esset, hoc vero non solum ieiunum, sed etiam, quum vix ullus Graecorum *δίκην δικαίαν* scripserit unquam, vix tolerabile: neque enim iustum illud ius Hasdrubali ab Hannone concessum (cf. Liv. historr. lib. XXI, c. 3) poterit in auxilium vocari, quum acerbitas cum ironia coniuncta eo dicendi genere ut adversarius Hannibalis uteretur, effecerit; accedit, quod loco Sophocleo verba *καὶ νόμῳ* addita reperimus. Quam vero Neuius attulit ex Euripidis Phoeniss. v. 1650 locutionem *ἔννομον δίκην*, ea nullo modo fulciri scripturam *δικαίᾳ* facile fatebere, cum prorsus sit planum, verba Euripidis *ἔννομον δίκην* respondere Sophoclis verbis *δίκῃ καὶ νόμῳ*, id quod interpretes paene neglexisse videntur. Hermanni autem emendationes *χρῃσθεὶς δίκαια* et *χρῃσθεὶς δικαίᾳ* reiicies, orationem et sententiam si consideraveris. Usu participii istius poëtae Atticorum tragici, quod sciam, abstinuerunt: Antigonam autem nemo negaverit parum luculenter rem gravissimi momenti significaturam fuisse, isto participio *χρῃσθεὶς* si voluisset indicare Eteoclem efflagitasse, ut si periisset pugnando cum Polynice, funebria Creo curaret. Itaque et Eduardum Wunderum et F. G. Schneidewinum recte statuisse opinor gravibus incommodis scripturam loci laborare, valde tamen peccasse utrumque, alterum, quod illum versum prorsus eiiciendum esse opinatus sit, alterum, quod eundem versum et proxime antecedentem omissis vocibus quibusdam mutatisque coniungi debere censuerit. Satis autem erit contra Schneidewinum, qui novum plane textum effinxerit, disputare. Ac primum quidem huius editoris animus offensus est verbis *ὡς λέγουσι*, quae sive cum verbo *ἔκρυψε* sive cum vocibus *σὺν δίκῃ ἔκρυψε* consociaveris, ita ut populi quodammodo opinio significetur, ipsi ab hoc loco alienissima esse videntur, cum v. 900 et vv. proxime sequentibus luculentissimum contineatur documentum Antigonam ad Eteoclem sepeliendum opitulatam esse, neque eius multum interesse potuerit civium commemorare iudicium. De cura a puella in fratre sepeliendo posita a Schneidewino egregie est monitum, non item de civium opinione ab Antigona contemnenda. Hoc ipsum, quod Antigona in Eteocle humando opem se tulisse sciebat, videtur in caussa fuisse, cur adiecerit cives ipsos tale studium, talem curam comprobasse. Arctissime igitur coniungi oportere puto verba *ὡς λέγουσι* cum verbis *σὺν δίκῃ ἔκρυψε*. Quod vero interpres ille censet, lectorem quendam recordatione inductum verborum Eteoclis, quae leguntur Euripidis Phoeniss. v. 786 et v. 1656, ex quibus appareat ab Eteocle vetitum esse Creontem Polynicem sepulchri honore afficere, margini adscripsisse *χρησθεὶς δίκαια* cogitantem Eteoclem sibi ipsi poposcisse sepulturam, id, cum loci natura additamentum eiusmodi non desideret, artificiosum quidem sed inutile commentum haberi debet: neque magis credes

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

editori contendenti, propterea quod, quae inde a. v. 27 de Polynice dicuntur, verbo φασὶν tanquam ab aliis relata exhibeantur, iuterpolatorem verba ὡς λέγουσι enuntiato priori intexuisse et verba ἡ δίκη, quae fuerint genuina, explicata vocibus σὺν δίκῃ, ut trimetrum efficeret, auxisse verbis δικαίᾳ καὶ νόμῳ. Legimus quidem Homeri Odyss. lib. IV, v. 691 „ἥτ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων," lib. XIV, v. 59 „ἡ γὰρ ὑμῶν δίκη ἐστίν," et libr. XXIV, v. 255 ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων;" sed his locis profecto non evincitur, ut ἡ δίκη a Sophocle scriptum esse putemus. Itaque facere non possum, quin, quam ipse ante hos quinque annos proposui lectionem:[2])

Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ
προςθεὶς δίκαια καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς
ἔκρυψε.

i. e. (Eteoclem, ut dicunt, secundum ius et legem additis iustis sacris terra condidit.) huic loco omnium maxime convenire credam. Simili modo loquentem introduxit Sopholes Electram v. 933 fabul. ejusd. nom.: *οἶμαι μάλιστ' ἔγωγε τοῦ τεθνηκότος μνημεῖ' Ὀρέστου ταῦτα προςθεῖναί τινα.* Apud Graecos autem notum est *τὰ δίκαια* dicta esse, quae secundum certam quandam necessitudinem solvi deberent, velut iura diis et superis et inferis sacra ideoque et mortalibus deorum tutelae addictis tribuenda.

Edictum regis quo cives Polynicem sepelire vetarentur, Antigona postquam sorori exposuit, inde a versu 31 hunc in modum orationem continuat:

Τοιαῦτά φασι τὸν ἀγαθὸν Κρέοντά σοι
κἀμοί, λέγω γὰρ κἀμέ, κηρύξαντ' ἔχειν,
καὶ δεῦρο νεῖσθαι ταῦτα τοῖσιν εἰδόσιν
σαφῆ προκηρύξοντα.

Libri omnes *τοῖς μὴ εἰδόσιν* tenent. E coniectura Heathii Schaeferus, Hermannus et Wunderus *τοῖσι μὴ εἰδόσιν* dederunt; Brunckius autem *τοῖς μὴ οὐκ εἰδόσιν* poetam scripsisse censuit. Omnes igitur editores, quod sciam, particulam negationis retinuerunt. Contra Schneidewinus, eiecta particula *μή*, *τοῖσιν εἰδόσιν* ut genuinam scripturam in textum recepit, contendens Creontis decretum neque Antigonae neque senibus Thebanis ignotum fuisse credi posse ideoque eam hoc tantum dixisse, accedere regem, ut civibus omnibus satis iam edoctis mandatum communicaret. In auxilium vocavit vir doctus Antigonae verba Creonti interroganti, num ipsius iussa scivisset, respondentis: *ἤδη· τί δ' οὐκ ἔμελλον; ἐμφανὴ γὰρ ἦν.* At hoc puellae responsum coniecturam editoris nullo modo firmabit, quum considerandum sit, Antigonam dixisse v. 26: *τὸν δ' ἀθλίως θανόντα Πολυνείκους νέκυν ἀστοῖσί φασιν ἐκκεκηρῦχθαι τὸ μὴ τάφῳ καλύψαι*: unde elucet, eam ab aliis, non ab ipso rege de edicto certiorem esse factam. Quod vero ad v. 220 Schneidewinus adnotavit, e versu 35 apparere Choro notam fuisse poenam a Creonte constitutam ei, qui suscepisse Polynicem sepeliendum, id parum probabile esse videtur. Chorus enim ipse versu

---

[2]) Cf. commentationis observationes in difficiliores quosdam veterum scriptorum et graecorum et latinorum locos continentis pag. 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

demum 158 pronunciat, appropinquare regem haud dubie consilium grave animo volutantem, quod senum concionem indixisset. Itaque patet senes Thebanos nondum certiores mandati regii fuisse factos: inde vero facile intelligas, particulam μὴ deesse non posse neque desiderari ironiae significationem, quam convenire et praemissis verbis κηρύξαντ' ἔχειν et sequentibus σαφῆ προκηρύξοντα interpres putavit. Fateor equidem lenissimam loco medicinam afferri Heathii coniectura τοῖσι pro τοῖς substituentis; verum tamen desidero in oratione aliquid, quo significetur, iis quoque, qui nondum iussa regia cognovissent, velle regem ea proponere. Itaque ut in re incerta audeo proferre lectionem:

καὶ δεῦρο νεῖσθαι ταῦτα καὶ τοῖς μὴ εἰδόσιν.

i. e. (et huc accedere, ut et iis, qui edicti sint ignari, id patefaciat.) Hoc modo η et ει in unam commode coalescent syllabam. Post literas τα vocula καὶ facile intercidere poterat.

Creo quum ad custodem affirmantem, se crimen sepulti Polynicis in se recipere non posse, istum auro corruptum vitam prodidisse dixisset, ille respondet v. 321:

„φεῦ·
ἦ δεινόν, ᾧ δοκεῖ γε καὶ ψευδῆ δοκεῖν.

Plurimi codicum afferunt lectionem ἢν δοκῇ γε: Laurentianus A et Parisinus E ᾧ δοκεῖ γε, quam scripturam plerique editorum receperunt, et recte quidem, cum et difficilior sit et loci conditione magis commendetur. Apertius enim servus suspicacem regis animum pungit. Wunderus verba laudata ita interpretatus est: grave est, qui suspicioni locum det, eum etiam falsa suspicari, i. e., dolendum est, eum, qui animum induxerit suspicari, etiam falsa suspicari, eamque interpretationem, recte si video, amplexus est Schneidewinus, qui laudato versu 1039 Electr. Sophocl. ita verba reddidit: „Schlimm, daß, wer überhaupt wähnt (sich auf's Wähnen einläßt), auch Falsches wähnt." At tali interpretationi obluctatur loci ratio. Creo enim custodi, innocentem se esse asseveranti, mercede captum facinus ipsum perpetrasse dixerat. Itaque eum sentire oportebat regem tanta esse diffidentia, ut prorsus ipsius innocentiam agnoscere nollet. Haud dubie custos ieiunam elocuturus fuisset sententiam, si respondisset: dolendum esse, qui suspicari velit, eum etiam falsa suspicari: declarasset simul hominem ad suspicandum proclivem et vera coniicere et interdum falsa suspicari: quam sententiam huic loco parum consentaneam esse existimo. Rectius iam Boeckhium, virum summum, sensisse opinor verba illa convertentem: O wahrlich schlimm, wem gut dünkt, daß ihm Falsches dünke, d. h. schlimm, wenn Jemand beschlossen hat Falsches zu glauben. Vellem tamen particulam καὶ vir eruditus respexisset non sine vi additam. Verba igitur ita interpreter: „Grave profecto, qui proclivis sit ad suspicandum, istum vel ea, quae falsa sunt, pro veris credere."

Chorus ubi ingenii humani solertiam in universum laudavit et navigationem, agriculturam, aucupium piscaturamque tanquam mortalium inventa celebravit, subiungit v. 353 verba:

„ἵππον ὀχμάζεται ἀμφιλοφῶν ζυγὸν οὔρειόν τ' ἀκμῆτα ταῦρον.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Codices fluctuant. Augustanus b et Vaticanus offerunt ἄξετ'; Laurentianus A, Parisinus F ἕξεται; Triclinius ἵππον ἑλὼν ἄγετ'. Editores et interpretes recte iudicarunt in codicum scriptura aut Triclinii mutatione non esse acquiescendum. Brunckius, Erfurdtius, Schaeferus ἵππον ὑπάξεται in textum receperunt; G. Schneiderus ἵππον ὅν ἄξεται exhibuit.

Haud dubie lectiones ὑπάξεται et ἄξεται reiiciendae sunt: futuro tempori nullum locum concessum esse strophae et antistrophae ratio satis luculenter docet. Et primum quidem locis omnibus, quibus mortalium industria a choro praedicata est, reperiuntur verba in tempore praesenti posita: χωρεῖ, ἀποτρύεται, ἄγει, κρατεῖ; itaque iam externam orationis speciem si consideraveris, futurum repudiabis: accedit, quod, quo tempore chorus laudes istas cecinisse existimari debet, eo ipso homo equorum ac taurorum domitorem iam pridem egerat. Itaque hoc quidem nomine, quod praesens tempus restituere studuit, laudandus est G. Schoenius, qui inductus verbis Euripidis, quae leguntur Electrae v. 817 ἐκ τῶν καλῶν κομποῦσι τοῖσι Θεσσαλοῖς Εἶναι τόδ' ὅστις ταῦρον ἀρταμεῖ καλῶς Ἵππον τ' ὀχμάζει et adiutus testimonio scholiastae ad Ap. Rhod. lib. I, v. 743 adnotantis: κυρίως ἐστὶν ὀχμάσαι τὸ ἵππον ὑπὸ χαλινὸν ἀγαγεῖν η ὑπὸ ὄχημα, coniecit legendum esse ἵππον ὀχμάζεται. Hanc ipsam coniecturam Schneidewinus ut scripturam genuinam in ordinem textus recepit immutata sequenti voce, ita ut versum exhiberet ἵππον ὀχμάζεται ἀμφιλοφῶν ζυγόν, quae postrema verbis graecis explanavit περιβαλὼν αὐτῷ ζυγὸν περὶ τὸν λόφον germanicisque reddidit „ihm umhalsend das Joch." Fateor equidem constituendi textus rationem, quam inierit Schneidewinius, mihi parum probari. Est sane ὀχμάζειν alligare, idem quod ἐχμάζειν: at verbum eiusmodi vix credo praepositionis adminiculo carere posse. Insuper coniecturam istam fecit Schoenius habita lectionis ἵππον ἄξεται ratione, qnae non est optimi codicis scriptura. Quod vero attinet ad participium ἀμφιλοφῶν a Schneidewino non tantum commendatum sed etiam in textum receptum, primum monendum est nusquam reperiri verbum ἀμφιλοφοῦν: tum vero substantivum λόφωσις non debebat virum doctum inducere ad effingendum participium illud, cum eius significatio prorsus diversa sit a significatione, quam in participio illo inesse voluit, qua de re cf. Passovii Lexic. sub voce λόφωσις. Adde, quod, quam attulit germanicam verbi conversionem, ea plane absona est: equos enim et tauros nemo facile dicet iugum esse collo amplexuros; multo magis ἀμφιζυγῶν λόφον, si verbum extaret, commendaretur. Itaque Hermannum ego rectam formandi textus viam ingressum esse puto, qui optimi codicis Laurentiani A scripturam respexit. Coniecit is legendum esse: ἵππιον ἑξέτε' ἀμφὶ λόφον ζυγοῖ eamque coniecturam in textum recepit, grave profecto ei petens patrocinium e verbis Aristotelis quae leguntur H. A. VI, 22, 3 „ἡ μὲν οὖν θήλεια ἵππος πέντε ἐτῶν τέλος λαμβάνει μήκους καὶ ὕψους, ὁ δ' ἄῤῥην ἓξ ἐτῶν" et versibus Homericis (Iliad ψ. 654 et 655) „ἡμίονον ταλάεργον ἀγων κατέδησ' ἐν ἀγῶνι ἑξέτε', ἀδμήτην, ἥτ' ἀλγίστη δαμάσασθαι. At huic coniecturae obloquuntur, quae sequuntur verba οὔρειόν τ' ἀκμῆτα ταῦρον, quibus genus animalis aperte nominatur: displicet porro cumulatio adiectivorum λασιαυχένα ἵππιον ἑξέτεα λόφον. Tum non una vox sed quatuor immutatae sunt: denique hoc loco annorum indicium aliquid frigidi habet, quod scholiastae doctrinam magis quam poetae imaginationem prodat. His de caussis istam quoque lectionem reiiciendam esse opinor. Superest, ut dicam, quid ipse de

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scriptura loci, quem Wunderus inter deploratos numerat, statuam. Vidimus supra necessario requiri praesentis temporis formam, requiri equi appellationem; idcirco inter vocem ἵππον et verbum ἕξεται corruptelae locum ex parte aliqua quaerendum esse duco. Iam cum haud dubie verbum desideretur, cui insit notio illigandi, equidum textum hunc in modum formandum esse suspicor:

„ἵππον ἐνείρετ' ἐς ἀμφίλοφον ζυγὸν οὔρειόν τ' ἀκμῆτα ταῦρον."

i. e. (equum illigat in iugo collum amplectente taurumque montanum indefessum.) Est ἐνείρειν inserere, illigare, idem fere atque ἐνζευγνύναι; medii forma indicabit, hominem suo commodo illigare in iugo equum taurumque. Praepositione quum locus vix carere possit, post ἐνείρετ' inserui ἐς. Solent verba copulata cum praepositione ἐν coniungi cum accusativo nominis, antecedente praepositione εἰς.

Antigona postquam, ut Creo se morte multaret, efflagitavit sibique nulla ex re posse gloriam maiorem ac pulchriorem evenire dixit quam ex Polynicis fratris sepultura, addit v. 504 haec verba:

„τούτοις τοῦτο πᾶσιν ἀνδάνει
λέγοιτ' ἄν, εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλῄοι φόβος."

Unus, quod sciam, codex Laurentianus A ἀνδάνει exhibet, cuius patrocinium Schneidewinus suscepit. Etsi in universum studium tuendae scripturae, quam offert liber ille, comprobandum est, tamen hoc loco facere non possum, quin vulgatae lectioni ἀνδάνειν opem ferendam esse censeam. Novi sane non deesse exempla, quibus eluceat poetas tragicos Graecorum interdum immiscuisse verba et dicta orationis directae. Laudantur Aeschyli versus Cho. 312 „δράσαντι παθεῖν" τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ et Agam. 177 „τὸν πάθει μάθος" θέντα κυρίως ἔχειν; addo praeterea ex ipsa Antigonae fabula v. 567 ἀλλ' ἥδε" μέντοι μὴ λέγ'· οὐ γὰρ ἔστ' ἔτι. At ab horum locorum ratione diversa plane est loci, quem tractamus, conditio. Formulam assensionis atticam congruentem fere cum ἀρέσκει et Latinorum placet si amplectaris probesque Schneidewini interpretationem „Von Allen diesen würde das Wort gesprochen werden „einverstanden," cogeris coniungere τοῦτο cum illa formula, id quod molestissimum est. Deinde non puto forensis quasi orationis speciem hoc quidem loco placere posse. Optime autem τούτοις cum verbis λέγοιτ' ἄν et τοῦτο cum ἀνδάνειν connectes, ut puellam hanc eloqui sententiam putemus: ab his omnibus pronuntiaretur, nisi timor linguam cohiberet, illud placere i. e. probari sepulturam Polynicis a sorore procuratam. Creonti quoque Antigona paullo ante dixerat „οὕτω δὲ καὶ σοὶ τἄμ' ἀφανδάνοντ' ἔφυ. Idcirco hoc quoque loco apte scribetur τοῦτο ἀνδάνειν, ut oppositum verbis modo laudatis.

Chorus ubi conquestus est Labdacidas a stirpe exagitatos esse calamitatibus et extremam sobolem illius gentis mox misere perituram esse, canit v. 605:

Τέαν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασία κατάσχοι."

Plerique librorum ὑπερβασίᾳ tenent: Laurentianus A ὑπερβασία, quam lectionem magnopere commendavit Schneidewinus ut egregie ἐκ παραλλήλου respondentem verbis τεὰν

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

δύνασιν i. e. τὰν σοῦ δύνασιν, eandem responsionem, qua orationis σεμνότης efficeretur, inveniens in verbis δύνασιν (v. 605), δυνάστας (v. 608), κατάσχοι (v. 605), κατέχεις (609), παντογήρως (606), ἀγήρως (608). Equidem non assentior. Laudetur utique illud responsionis genus: at contra logicam ut textum constituamus, illud vix efficiet. Hominis insolentia omnia conari, omnia audere, omnia perpeti volet: itaque hanc chorus non apte opponet Jovis potentiae, multo rectius oppositurus hominem inductum insolentia deo potentissimo resistere audentem. Hac de caussa ὑπερβασίᾳ quin vera sit scriptura, non dubito, nec male interpretatus esse locum Wunderus mihi videtur hisce verbis: „quis mortalium insolentia sua potentiam tuam coerceat," i. e. quis mortalium coerceat, si tam insolens sit, ut coercere conetur. Scholiastae explicatio „ὑπερηφανίᾳ κρατῆσαι δύναται" lectionem ὑπερβασίᾳ aperte tuetur.

Creo quum obsequium erga principem civitatis summopere commendasset et ἀναρχίας malum omnium gravissimum esse dixisset, quae ex ista calamitates subnasci soleant, hisce docet versibus (673, 674, 675):

„αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
οἴκους τίθησιν· ἥδε συμμάχου δορὸς
τροπὰς καταῤῥήγνυσι."

Ex Bothii coniectura Schneidewinus dedit συμμάχου δορὸς. Omnes libri produnt scripturam σὺν μάχῃ, merito damnatam ab editoribus, qui vario modo loco auxilium afferre studuerunt. Bothii coniectura displicet, quia per se intelligitur, quod genus militum intelligi debeat, et vox σύμμαχος multo magis socios in universum, quam eos, qui eiusdem ordinis sunt milites, denotat. Wexii συμμάχη δορὸς (Ἀναρχία socia pugnae) mendosam efficit orationem. Emperii coniectura σὺν δόρει μάχης, quam Wunderus magna extulit laude, violenta nititur verborum traiectione. Quid si legamus:

„ἥδε κἂν μάχῃ δορὸς
τροπὰς καταῤῥήγνυσι.

i. e. (haec et in proeliis ordines perfringit)."

Verba μάχῃ δορὸς unam efficiunt notionem: sic ἐκπέμπειν εἰς μάχην δορὸς invenies Euripid. Erechth. fr. 17, 24: nec dissimili modo Creo ipse paulo ante dixit: καὶ τοῦτον — θαρσοίην — δορός τ' ἂν ἐν χειμῶνι προστεταγμένον μένειν.

Creontem qui gravi oratione adhortatus erat filium, ut sponsae renunciaret, immodestiaeque mala enumeraverat, Haemon hisce verbis (a. v. 683 inde ad 687) alloquitur:

πάτερ, θεοὶ φύουσιν ἀνθρώποις φρένας
πάντων ὅσ' ἐστὶ χρημάτων ὑπέρτατον,
ἐγὼ δ' ὅπως σὺ μὴ λέγεις ὀρθῶς τάδε,
οὔτ' ἂν δυναίμην, μήτ' ἐπισταίμην λέγειν·
γένοιτο μέντἂν χἀτέρῳ καλῶς ἔχον·

Γένοιτο codices omnes afferunt. Editores uno excepto Wundero librorum scripturam retinuerunt, pars χἀτέρῳ probantes, alii χἀτέρως vel χἀτέρᾳ commendantes, inducti ut vide-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tur, Scholiastae verbis. Inest autem in verbo γένοιτο, sive χἀτέρῳ sive χἀτέρως vel χἀτέρᾳ addideris, aliquid molestiae. Haemon confessus erat se neque posse dicere patris sententiam falsam esse neque optare, ut dicere posset. Vix dicto tali conveniat oppositio expressa verbis γένοιτο μέντἂν χἀτέρῳ καλῶς ἔχον, ne tum quidem, si probaveris Schneidewini sententiam verba illa convertentis: „Es könnte indeß doch auch einem Andern ein guter Gedanke zu Theil werden." Neque enim de opinatione quadam, sed de iudicio adversus regis dictum proferendo hoc loco cogitandum est. Aperte enim filius dixerat: ἐγὼ δ' ὅπως σὺ μὴ λέγεις ὀρθῶς τάδε, οὔτ' ἂν δυναίμην, μήτ' ἐπισταίμην λέγειν. Praeterea vix credo γένοιτο eo, quo voluit Schneidewinus, significatu unquam a Graecis positum esse, neque puto eum recte statuisse ad verba καλῶς ἔχειν resumi posse κτῆμα φρενῶν aut ipso verbo γενέσθαι quasi monstrari illud κτῆμα. Difficultates loci sensisse videtur Wunderus, qui λέγοιτο legendum suspicatus eam lectionem in textum recepit. Sententiam, quam vir doctus exprimere studuit, laudo: nec tamen vocem ipsam probo, cum et molesta efficiatur eiusdem verbi repetitio et hac ipsa repetitione oratio iusto vehementior evadere videatur. Eam ob rem coniicio legendum esse:

φθέγγοιτο μέντἂν χἄτερος καλῶς ἔχον.

i. e. (at dicat alius quoque, quod probum sit).

φθέγγεσθαι ἔπος reperies Herod. hist. lib. VII, c. 103. Videtur autem poeta Haemonem consulto tali verbo utentem introduxisse, cum in sequentibus civium sermones Antigonae innocentiam sortemque et praedicantium et commiserantium referantur. Fortasse hos ipsos Haemonis verba denotant.

Inter colloquendum Haemon quum patri significasset cives multo aliter de Antigona sentire et iudicare atque ipsum, hic v. 736 ex filio quaerit:

„ἄλλῳ γὰρ ἢ 'μοὶ χρή με τῆσδ' ἄρχειν χθονός;"

Contra auctoritatem librorum χρή γε exhibentium Schneidewinus, Dobreum secutus, χρή με dedit, offensus, ut videtur, eo quod χρή cum dativo coniunctum reperiret, verbaque hunc in modum convertit: Für einen Andern nämlich als für mich soll ich über dieses Land herrschen? At sententia haec prorsus languida est. Rex cum paulo ante interrogasset, num civitas sibi praescriptura esset, quae ipsi imperanda essent, mehercle versu laudato Haemoni obloquenti nihil aliud poterat dicere nisi se ipsum, non alium esse civitatis principem: cui dicto optime conveniunt, quae statim dicuntur ab Haemone: πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρός ἐσθ' ἑνός. Itaque non dubito, quin vera sit lectio vulgata:

ἄλλῳ γὰρ ἢ 'μοὶ χρή γε τῆσδ' ἄρχειν χθονός;

i. e. (num alium quam me oportet huic terrae imperare?).

Commode attulit Erfurdtius verba Thom. M. in χρή' χρή με ποιῆσαι πάντοτε λέγε, οὐ χρή μοι, εἰ καὶ Σοφοκλῆς ἅπαξ. Legimus praeterea Eurip. Jon. 1317: τοῖσι δ' ἐνδίκοις ἱερὰ καθίζειν ἐχρῆν et Lucian. Hermotim. T. I, p. 798: χρὴ γάρ, οἶμαι, σοὶ τῷ πρώτῳ χρηστῷ καὶ ἀξίῳ ἐντυχόντι ἀποφέρεσθαι.

Creo exacerbatus dictis Haemonis Antigonam fortiter defendentis ubi diserte elocutus est, filium nunquam puellam vivam uxorem esse ducturum, hic v. 751 respondet:

„ἥδ' οὖν θανεῖται καὶ θανοῦσ' ὀλεῖ τινά.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hoc versu adnotavit Schneidewinus obscurum praesagium contineri aut de Creontis interitu aut de Haemonis morte accipiendum. Et sunt sane interpretes, qui contendant Haemonem his verbis significare, se sibi, Antigona si supplicio afficiatur, necem illaturum esse. Recte autem mihi videntur ii iudicasse, qui censeant Haemonem dixisse caedem Antigonae Creonti summam perniciem adlaturam esse: quam sententiam Wunderus optime defendit, qui tamen verba Haemonis (v. 753) „τίς δ' ἔστ' ἀπειλὴ πρὸς κενὰς γνώμας λέγειν; minus quam par erat, respexit. Ex his enim omnium maxime apparet, non minari voluisse filium utpote contra stulta patris consilia disserentem.

Rex quum puellam adduci iussisset, ut satim coram sponso occideretur, Haemon summo dolore affectus haec eloquitur mentis cogitata (v. 762):

„οὐ δῆτ' ἔμοιγε, τοῦτο μὴ δόξῃς ποτέ,
οὔθ' ἥδ' ὀλεῖται πλησία, σύ τ' οὐδαμὰ
τοὐμὸν προσόψει κρᾶτ' ἐν ὀφθαλμοῖς ὁρῶν,
ὡς τοῖς θέλουσι τῶν φίλων μαίνει ξυνών.

Ald. μένῃ. Ricc. μένῃς, alii codices μένεις vel μενεῖς. Laurentianus A μαίνῃι, suprascr. ε et εἰς cum scholio: ὡς τοῖς θέλουσι τῶν φίλων μένῃς ξυνών. γρ. μαίνῃ. ὡς μαίνῃ, φησὶ, παρὰ τοῖς φίλοις τοῖς θέλουσιν ὑπομεῖναι τὴν σὴν μανίαν. August. B μένεις suprascr. η cum nota: γράφεται καὶ μαίνῃ, ἀντὶ τοῦ ὀργίζῃ, οὕτω. ὡς καὶ ἵνα μαίνῃ καὶ ὀργίζῃ τοῖς θέλουσι τῶν φίλων, ἐγὼ δ' οὐχὶ θυμουμένῳ πείσομαι. Veram scripturam haud dubie Laurentianus A praebet, quem hoc loco a Schneidewino neglectum esse miror. Etenim quam attulit explicationem, contendens particula ὡς hic denotari caussam et τοὺς θέλοντας esse, qui Creonti bene velint, eam reiiciendam esse opinor. Non dolore tantum sed ira etiam correptum illa verba Haemonem elocutum esse ex iis patet, quae a Choro statim subiunguntur. Indignantis autem orationem multo magis agnosces, si statuas poetam introduxisse Haemonem dicentem, nunquam in Creontis conspectum se proditurum esse, ut insaniat iste apud eos amicorum, qui ipsum insanientem ferre velint, quam si opineris Haemonem indicasse, quod insaniat rex in benevolos amicos, se decessurum. Accedit, quod participium ξυνών, consilium si proditum existimemus, aptius additur: contra languidi quid habebit, si caussam prolatam putemus. Particulam ὡς pro ἵνα positam antecedente futuro reperies Aeschyl. Eumen. v. 842: οὗτοι καμοῦμαί σοι λέγουσα ταγαθά, ὡς μήποτ' εἴπῃς.

Antigona postquam professa est, spem sibi esse, fore, ut ad inferos veniret exoptata patri, matri et ipsi Eteocli fratri, quibus, quae tribui solerent mortuis, ea solvisset, hunc in modum loquitur (a. v. 905 ad v. 915):

„νῦν δέ, Πολύνεικες, τό σὸν
δέμας περιστέλλουσα τοιάδ' ἄρνυμαι.
καίτοι σέ γ' εὖ[3]) 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ.

---

[3]) Ingeniosa sane est Arndtii coniectura: καίτοι σέ γ' εὖ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ recteque Schneidewinus monuit ea lectione id inprimis efferri, in quo vis maxima esset. Di-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

[οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν
οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο,
βίᾳ πολιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον.
Τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν,
καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ' ἠμπλάκον,
μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.
Τοιῷδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσας' ἐγὼ
νόμῳ,] Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν
καὶ δεινὰ τολμᾶν, ὦ κασίγνητον κάρα.

Iacobus, Wunderus et Schneidewinus versus supra laudatos ut Antigonae persona prorsus indignos et aut ab histrione quodam aut ab Iophonte Sophoclis filio confectos et, cum fabula iterum doceretur, intextos esse existimaverunt. Ac primum quidem censent viri docti laudem probitatis ac sinceritatis puellae, quae divinarum legum sanctitate servata summa cum caritate cognatorum ac propinquorum cuique, quae solvenda essent, tribuerit, valde minui, si statuamus ipsam negasse, se sepulturae officium aut liberis aut marito praestaturam fuisse, quod liberi et maritus reparabiles, fratres, extinctis parentibus, irreparabiles essent. Fateor puellam mihi quoque videri duri animi signum ista argumentandi ratione edidisse, neque ad excusandam eam afferre volo, non licere poetis tragicis ideas perfectorum hominum concipere et ponere: illud tamen quin moneam, temperare mihi non possum, durum ac vehemens Antigonae ingenium vel in eo iam apparuisse, quod Ismenae sorori ipsius amantissimae tranquillitatem sapientioremque agendi rationem commendanti haud raro acerbe oblocuta fuerit. Chorum quoque offensum paene fuisse austera puellae et mente et oratione certum est: aperte enim, cum illa coram rege non sine verborum acerbitate suam agendi rationem defendisset, dixit (v. 471): *δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρὸς τῆς παιδός*. Iam vero Electrae si mores, si consilia, si verba respexerimus, num opinabimur Sophoclem abstinuisse a depingendis foeminis fortibus magis quam vere muliebribus? At Antigona quid omnium maxime putanda est isto dicto exsignare voluisse? Profecto nihil aliud nisi hoc, sibi Polynicem unum omnium maxime carum fuisse: non maritum, non liberos tanti unquam quanti illum unum se aestimaturam fuisse. Verum ita solent in fabulis heroes et heroides in una re figere cogitata et sensa, ut ceterarum rerum oblivisci fere videantur. Quam iam commemoravimus Electram, ea in amore erga patrem tam constans fuit, ut ad matrem iterum feriendam Orestem fratrem compelleret.[4]) Hic vero Antigonam, quae capite damnata mox

---

cendum profecto Antigonae erat, se iudicio hominum proborum ac sapientium iure meritoque Polynicem sepulchri honore affecisse. Codices omnes *καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ*, quod non sufficiet, sive Scholiastae sive Triclinii explicationem amplexus fueris.

[4]) *Παῖσον, εἰ σθένεις διπλῆν!* Electr. v. 1395.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

carpere debebat mortis viam, cognoscimus ea omnia proferre, quae vel speciem tantum prae se ferant documenti, ipsius agendi rationem rectam ideoque probandam fuisse. Quocirca, ut evadat quovis nomine pulcherrima ac speciosa virginis egregiae imago, textui, cum corruptionis signum in codicum nullo insit, vim inferre nolim. Deinde vero omnino mirantur viri docti, quod significaverit Antigona, inter vivos si essent parentes, spem se habituram fuisse, fore, ut fratrem nancisceretur: conquestam illam iam esse nefandas parentum nuptias (*λέκτρων ἄτας* v. 862), ex quibus ipsa exsecrabilis provenisset. At tali argumento nihil efficitur. Hoc enim loco multo magis cogitasse puellam censere necesse erat interpretes in universum de conditione fratris reparandi quam de suorum parentum sorte: tum vero, etiamsi fingamus tristissimae sortis conditionem occurrisse eius menti, tamen, quum et parentes et fratres eximio sit complexa amore, non dedecoris memorem, sed caritatis plenam istam sententiam Antigonam elocutam esse arbitrabimur. Contendunt porro viri docti ex Herodoti narratione, quae legitur historr. libr. III, c. 119, confictum esse locum Sophocleum. Refert historiarum scriptor, Intaphernem novarum rerum studiosum eiusque liberos reliquosque cognatos Darii iussu in carcerem coniectos esse: adfuisse quotidie ad fores regiae uxorem Intaphernis lacrimantem et eiulantem regemque misericordia captum ut mulieri nuntiaretur imperasse, velle se ex captivis unum ei tradere: mulierem tum, frater ut sibi condonaretur, orasse, regique de neglectis liberis, de neglecto marito miranti dixisse: *ὦ βασιλεῦ, ἀνὴρ μέν μοι ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι· πατρὸς δὲ καί μητρὸς οὐκ ἔτι μευ ζωόντων ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο.* Sunt profecto sibi simillimi versus Sophoclei et locus ex Herodoto allatus: nec tamen ob eam caussam versus spurios credam. Haud dubie facinus istud uxoris Intaphernis admirationem illius memoriae hominibus iniecerat, quippe quo exemplum proderetur, tantum erga fratrem amorem gessisse sororem, ut mallet ipsius vitam quam mariti ac liberorum servare. Cur Sophocles isto argumentandi exemplo, cum casus in fabula ageretur similes sensus cogitationesque excitans, Antigonam utentem facere non potuerit, equidem non video.[5]) Accidit autem ex Aristotelis auctoritate loco isti magnum profecto auxilium. Hic enim versus Sophocleos esse existimavit. Rhetoricorum scilicet libr. III, c. 16 scribit: *Ἂν δ' ἄπιστον ᾖ, τότε τὴν αἰτίαν ἐπιλέγειν· ὥσπερ Σοφοκλῆς ποιεῖ παράδειγμα, τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης, ὅτι μᾶλλον τοῦ ἀδελφοῦ ἐκήδετο ἢ ἀνδρὸς ἢ τέκνων· τὰ μὲν γὰρ ἂν γενέσθαι ἀπολόμενα.*

Μητρὸς δ' ἐν ᾅδου καὶ πατρὸς βεβηκότων[6])
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.

Accedamus iam ad tractanda ea, quae de oratione Schneidewinus monuit. Ac primum quidem arbitratur vir doctus, particula *γὰρ* versum 905 male adnexum esse proxime ante-

[5]) Sophocles ex Herodoto, an e Sophocle Herodotus rem desumserit, inter viros eruditos non convenit. Musgravio Herodotus eam primus protulisse videtur. Bothius vero opinatur communi utrumque scriptorem fama usum esse.

[6]) *βεβηκότων* i. e. *ὄντων*. Cf. Passovii Lexicon sub v. *βαίνω*. Videtur Aristoteles versus memoriter exsignasse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cedenti: deesse indicium manifestum liberorum mortuorum, quos sepelire vetita esset Antigona. Hoc argumentum mihi leve videtur esse. Verbis τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον aperte indicatur, qui labor suscipiendus fuerit: porro eo ipso, quod virgo matris conditionem finxit, auditorum quisque iacturae genus facile coniicere poterat, neque gravius existimaveris argumentum petitum e versu: οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο. Haec quoque verba rei conditionem luculenter depingunt, ita ut facile subintelligas cogitari debere mariti quoque corpus humari vetitum fuisse. Quod vero Schneidewinus adnotavit, ἐτήκετο non idem esse atque ἐπύθετο, et hac de caussa mire adhibitum, id quoque parvi est momenti. Τήκεσθαι est solvi, absumi, perire, vanescere. Iam quum maritum mortuum memoraverit Antigona, per se intelligitur in universum isto vocabulo corporis dissolutionem exsignari. Monet praeterea editor βίᾳ πολιτῶν absone esse dictum, cum Creontis edicto non denotetur civium voluntas. Errare puto virum doctum. Chorus paullo ante dixerat (v. 853—856):

„προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους
ὑψηλὸν ἐς Δίκας βάθρον
προσέπεσες, ὦ τέκνον, ποδοῖν.
πατρῷον δ' ἐκτίνεις τιν' ἆθλον.

Cognosci igitur licet senes Thebanorum puellam reprehendisse, quod regis iussa violasset. Itaque non mirabere Antigonam dixisse οὔτε — βίᾳ πολιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον. Vehementer autem Schneidewinus errat contendens puellae interrogatione: τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω; iocosi aliquid contineri. Concitatum dicendi genus facile agnoscas. Antigona ipsa sibi quadammodo actionis suae reddit rationem. Κατθανόντος vero nihil aliud est quam εἰ κατέθανεν ὁ πρότερος πόσις: conditio, non oppositio, signatur: variatam reperies in sequentibus orationem verbis εἰ τοῦδ' ἡμπλακον: neque verba ἀπ' ἄλλου φωτός iustam vituperationis caussam praebent. Dicit enim Antigona, si cum marito filium amisisset, ex alio marito sibi filium futurum fuisse. Sine dubio, quo gravius depingeret malum, ipsa duplicem calamitatem accurate et diserte memoravit. Herodoti, ut historiarum scriptoris, dicendi genus simplicius est: quod vero de temporis, quo maritum mortem obiisse censeamus, indicio Schneidewinus profert, id mirum sane est, cum nihil aliud nisi duplex illa et mariti et filii iactura indicetur. Nimiam autem castigandi cupiditatem senties in eo, quod editor usum pronominis ὅσις v. 12 perversum plane existimaverit et omnino Sophoclem totum versum ita compositurum fuisse censuerit: οὐκ ἔσθ' ὅπως ἀδελφὸς ἂν βλάστοι ποτέ. Equidem usum pronominis probo exemplumque congruens fere ex Aeschyli Prometh. v. 991 affero: οὐκ ἔστιν ἰάκισμ' οὐδὲ μηχάνημ', ὅτῳ προτρέψεταί με Ζεύς. Quod denique Schneidewinus ait pronomen σε nimis remotum esse a versu 904, id quoque eo ipso tollitur, quod in universum figura orationis quam ἀποστροφὴν vocant, usa est Antigona: mortuum Polynicem allocuta est verbis (v. 902): νῦν δέ, Πολύνεικες, τὸ σὸν δέμας περιστέλλουσα τοιάδ' ἄρνυμαι. Itaque et auditorum et lectorum quisque pronomine σε exsignari Polynicem facillime intelligere poterat. Omnino autem mirabere Schneidewinum, cui tam multa et ad cogitationes et ad orationem spectantia displicuerint, opinari potuisse Jophontem Sophoclis filium istum locum concinnasse. Jo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cedenti: deesse indiciu
Antigona. Hoc argumen
indicatur, qui labor sus
finxit, auditorum quisque
maveris argumentum pet
verba rei conditionem lu
riti quoque corpus humari
idem esse atque ἐπύθετο,
Τήκεσθαι est solvi, absun
Antigona, per se intellig
Monet praeterea editor β
tetur civium voluntas.
853 — 856):

„προβᾶ
ὑψηλὸν
προσέπ
πατρῷο

Cognosci igitur licet ser
lasset. Itaque non miral
Vehementer autem Schn
δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
scas. Antigona ipsa sib
nihil aliud est quam εἰ
variatam reperies in se
ἄλλου φωτός iustam vitup
rito filium amisisset, ex
depingeret malum, ipsa
ut historiarum scriptoris,
ritum mortem obiisse ce
nihil aliud nisi duplex il
cupiditatem senties in e
existimaverit et omnino
ἔσθ' ὅπως ἀδελφὸς ἂν βλά
gruens fere ex Aeschyli
τρέψεταί με Ζεύς. Quod
a versu 904, id quoque e
φὴν vocant, usa est Anti
Πολύνεικες, τὸ σὸν δέμας
quisque pronomine σε ex
mirabere Schneidewinun
displicuerint, opinari pot

quos sepelire vetita esset
ὁνδ' ἂν ἠρόμην πόνον aperte
l virgo matris conditionem
rat, neque gravius existi-
νὼν ἐτήκετο. Haec quoque
elligas cogitari debere ma-
inus adnotavit, ἐτήκετο non
quoque parvi est momenti.
itum mortuum memoraverit
ris dissolutionem exsignari.
Creontis edicto non deno-
paullo ante dixerat (v.

se, quod regis iussa vio-
λιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον.
interrogatione: τίνος νόμου
dicendi genus facile agno-
ationem. Καθανόντος vero
non oppositio, signatur:
μπλακον: neque verba ἀπ'
im Antigona, si cum ma-
. Sine dubio, quo gravius
erte memoravit. Herodoti,
vero de temporis, quo ma-
rt, id mirum sane est, cum
Nimiam autem castigandi
ας v. 12 perversum plane
turum fuisse censuerit: οὐκ
probo exemplumque con-
σμ' οὐδὲ μηχάνημ', ὅτῳ προ-
n σε nimis remotum esse
ra orationis quam ἀποστρο-
st verbis (v. 902): νῦν δέ,
et auditorum et lectorum
c poterat. Omnino autem
et ad orationem spectantia
n locum concinnasse. Jo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

phon, ut fuerit ψυχρός, ut fuerit patre magno quovis nomine minor, num propterea existimari debebat intexuisse, quae neque sanam cogitandi rationem neque probum dicendi genus prodere viderentur? Equidem, habita et testimonii ab Aristotele exhibiti et codicum ratione consideratque ingenii Antigonae natura, fateor videri mihi Schneidewini argumenta, quibus versus laudatos spurios habendos esse comprobare studuerit, non tam gravia, ut iis assentiar.

Antigona quum deorum se auxilio destitutam esse conquesta esset, quippe quae pia agendi ratione impietatis crimen subiisset, dicit (v. 925—928):

„ἀλλ' εἰ μὲν οὖν τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά,
παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες·
εἰ δ' οἵδ' ἁμαρτάνουσι, μὴ πλείω κακὰ
πάθοιεν ἢ καὶ δρῶσιν ἐκδίκως ἐμέ."

Antigonam contendit Schneidewinus, ubi ex ipsa poena sibi constituta caussam petierit deorum iniustitiam iucusandi, proferre sententiam, si revera diis placuerit propter pietatem malis se affligere, debere se, quod malis affecta fuerit, ignoscere, quippe quae peccaverit, eamque interpretationem commendari eo, quod in sequentibus Antigona dicat, adversarii si peccaverint, istis optare se ne dii ignoscant. Talis interpretandi ratio quin falsa sit, non dubito. Parum apte dixisset puella, debere se indulgentem esse et ignoscere adversariis, dii si sibi, quae pietatem coluisset, impietatis poenam irrogassent, quasi pietatem prodere pro peccato esset habendum. Dein verba εἰ δ' οἵδ' ἁμάρτάνουσι, postulant, ut aliquid ipsis sit oppositum. Schneidewini autem interpretandi rationem qui amplexus fuerit, quae revera sibi opposita sint, non inveniet. Apertum profecto est, Antigonam confiteri oportuisse aut se peccasse aut adversarios et, ipsa si peccasset, merito se esse malis affectam; contra illi si in errore versarentur, mala se iis imprecari. Convertendos igitur versus laudatos censeo: „At si revera (οὖν) haec diis placent, fatear (ξυγγνοῖμεν ἂν) malo me affectam esse (παθόντες), cum peccaverium ἡμαρτηκότες). Hanc explicationem orationis genus commendat. Συγγιγνώσκειν est cognoscere, agnoscere, consentire, concedere, fateri. Legimus Herod. historr. I, 89 συγγνόντες ποιέειν σε δίκαια;" I, 91 „συνέγνω ἑωυτοῦ εἶναι τὴν ἁμαρτάδα. Hoc posterius exemplum inprimis firmabit eam, quam exhibui, explicationem. Participium additum reperies lib. IX, 22 συγγνόντες ἡττηθέντες τῇ γνώμῃ πρὸς Κύρου (i. e. confitentes consilio sè superari). Ceterum quae sequuntur verba Chori „ἔτι τῶν αὐτῶν ἀνέμων αὗται ψυχῆς ῥιπαὶ τήνδε γ' ἔχουσιν", ea prorsus reluctantur opinioni eorum, qui loco laudato mitem prodidisse mentem Antigonam censent, inter quos Wexius prae ceteris appellandus est, qui pro inimicis precatam esse Antigonam putavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf